

Johann Arnd

Principium Principiorum, Quibus Leges Naturales solent demonstrari, breviter exhibet

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, Anno MDCCXII

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860079466>

Druck Freier  Zugang



RU phil. 1712

Arnd, Johann

PRINCIPIUM
PRINCIPIORUM,

Quibus

Leges Naturales solent demonstrari,
breviter exhibet.

JOANNES ARND,

Dantiscanus.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Sen. Typogr.

Anno MDCCXII.



§. I.
 Uicquid abstractiuus Scholasticorum fictionibus Juris Nat. dignitati vnquam detractum, id omne suis demonstrationibus eisdem restituerunt Mathematici, quo nomine præ reliquis jam adpello; Thomam Hobbium, Richardum Cumberland & Samuelem L. B. de Pufendorf. Hi quippe, quæ tractarunt Juris Nat. præcepta, more Mathematicis proprio ex principiis practicis solidissime ac planissime deduxerunt,

§. II. Inde recentioribus, toties de Juris Nat. principio disputandi materia est subministrata, in qua ego similiter hac vice vires meas experiar. Omnia quidem breuissimis, attamen ita exponam, ne breuitas noceat perspicuitati,

§. III. Jam ad rem ipsam. *Principium cognoscendi* nuncupo: Generale veritatis deducendæ initium, a quo reliquæ veritates particulares necessaria ac legitima consequentia deducuntur. Seu, est propositio vniuersalis, a qua ejusdem generis, ad quod illa se refert, conclusiones sponte fluunt.

§. IV. *Principium cognoscendi Juris Nat.* est: Generale circa actiones humanas præceptum, ex quo reliqua specialiora descendunt, & in quod eadem vltimo resoluuntur.

§. V. *Attributa hujus principii* sunt; (1) *Veritas*, quæ, dum principium istud certa propositione formatum est, in necessario subjecti & prædicati nexu consistit: Hoc est, quod in Juris Nat. principio homini præceptum dico, id naturæ humanæ sit maxime consentaneum. Nam alias reliqua Juris Nat. præcepta, a principio isto ducenda, humanæ

humanæ conditioni non conuenirent. Deest igitur attributum hoc istis propositionibus: *homo hominem naturaliter metuit; homines naturaliter feruntur cupiditate belli omnium in omnes.* Quæ tanquam Juris N, principia Hobbiô sæpe, sed falso adscribuntur.

§. VI. (2) *Euidentiæ*, quæ consistit in facilitate intelligendi principium Juris Nat. Hæc necessario adesse debet, quia illius juris obseruatio omnibus incumbit hominibus, quorum plerique sunt insipidi. Talis vero perspicuitas deest propositioni, pro principio Juris Natural. communiter a Jurisconsultis venditatæ: *quicquid dicitur sana ratio, illud est Juris Nat.* Taceo, quod huic principio desit mox adducendum requisitum tertium, quia omnes etiam Philosophiæ Theoreticæ conclusiones sana ratio dicitur. Has vero Juris Naturalis præcepta dices? Absit.

§. VII. (3) *Proprietas seu adæquatum.* Hujus enim respectu requiritur, vt in principio Juris Nat. contineantur, & *sola* Juris Nat. præcepta, ne scilicet Jus Nat. cum aliis disciplinis, maxime cum Theologia Morali permisceatur; & *omnia*, ne vllum omittatur, quod ad morales actiones dirigendas DEus promulgauit. Quapropter etiam Jur. Nat. principium cognoscendi, est quasi naturalium præceptorum compendium, quod, nec abundet, nec careat vlllo. Hoc, si vnico termino, vel binis plenam propositionem non formantibus exprimitur, complexum; sin secus; incomplexum potest nuncupari.

§. IIX. Dices, quæ sola? quæ omnia sunt Juris Nat. præcepta? Respondeo; sola videbis §. 14. omnia autem recensere meum jam non est. Interim per capita eundo classes indicabo hac regula: Quot sunt distincta

) 2

actionum

actionum humanarum objecta, tot etiam sunt distinctæ legum nat. classes; Nam, quam actionem vni. objectorum exhibere jubet quædam lex naturalis, illa non simul conuenit secundo aut tertio; sed iterum circa hæc aliam actionem lex alia præcipit, & sic porro. Jam vero distincta objecta actionum humanarum tria sunt; DEUS, ipse quilibet & reliqui homines, quia cum his cuilibet commercium rationis amorisque reciproci intercedit inq̄ue iisdem actio moralis terminatur. Quapropter etiam tres sunt legum nat. classes seu tabulæ. Prima continet Juris Nat. leges, quibus actiones nostræ circa DEUM versantes; secunda, quibus officia sibi met ipsi debita; tertia, quibus officia ergo alios, præcipiuntur. Quotiescunque jam principium aliquod proponitur, quo non trium istarum classium præcepta continentur, merito istud explodendum.

§. IX. Positis illis, adæquata non sunt Juris Natur. principia, Grotii & Pufendorffii *Socialitas*, quia officia DEO debita negligit; Hobbii *Φιλανθία*, quia me solum respicit, Dn. Thomasi *studium vite longissima felicissimaque*, Ægydii Strauchii, aliorumque: *quod Tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, nam hæc quoque DEUM negligunt; & quæ sunt reliqua ejusdem generis principia, quæ non omnia exprimunt præcepta. Deinde remouentur Dn. Cocceji; *Voluntas DEI* & Val. Alberti; *conformatio ad Stat. Integritatis &c.* Nam hæc principia non tantum Juris Natur.; sed etiam Theologiæ Moralis præcepta continent, nec agenda tantum, sed etiam credenda complectuntur.

§. X. Dum itaque cognouerim in breuiter recensitis principiis, ut & aliis pluribus, vnum alterumue genuini principii attributum desiderari, hoc inueni: *Amate amantes.*

§. XII. In

§. XI. Amare mihi hic est : vniuersalis beneuolentiæ actus, rectæ rationis ductu exprimere. Frustra igitur Cumberlandus beneuolentiam ab amore tantopere remouit. Nam iuxta probatæ fidei auctores, tam Græcos, quam Latinos, amor & beneuolentia pari passu ambulant, quod ex Ethica Aristotelis, nec non Ciceronis de Amicitia dialogo aliisque sufficienter constat. Quando porro Cumberlandus vrget: Amoris terminum in malam quoque partem accipi, hoc similiter non obstat, quia tunc non nisi cum addito amor illicitus, impurus &c. dicitur. Alias amor simpliciter dictus bono semper sensu accipitur. Quid enim Christianis vsitatius, quam ipsum Numen sanctissimum in abstracto adpellare amorem, idque non sine auctoritate sanctissimorum DEI amanuensium. Nec non totam Sacro-sanctam paginam in amorem resoluit ipse noster Servator. Id quod etiam Athenienses publico documento agnoverunt, quando in eodem templo cum Pallade sacra simul fecerunt amori.

§. XII. In hoc meo principio omnia ante dicta requisita adesse paucis demonstrabo. *Verum* illud esse inde patet, quia nihil arctius cum natura humana connexum præter amorem. Immo hoc præsentè commodum totius humani generis altum promouetur, absente destruitur ipsique homines pereunt.

§. XIII. Porro principii nostri *euidentiâ* omnium iudicio est conformis, adeo vt etiam sensu tantum communi quicquam valentes istud percipere possint. In stolidissimis mulierculis summum videmus studium fouendi ac nutriendi suos infantes. Nec difficile est mente præditis, cuius præclaram speciem solo instinctu fieri animaduertimus in brutis, quæ blandi-

entibus saltibus præludunt offam projicientibus eosque defendunt.

§. XIV. *Adequatum* simul esse principium nostrum abunde constat, quia suo ambitu primum sola comprehendit præcepta Nat. Juris adeoque hoc ipsum a reliquis disciplinis omnibus distingvit. Quippe ea tantum præcepta gignit, quæ *πράξις*, seu actiones morales disponunt inque iisdem formale constituunt amorem, per sanam rationem inuestigatum. Quo ipso Jus Nat. ab omnibus disciplinis theoreticis (in quibus, vel nuda *θεωρία*, seu speculatio mentis; vel simul *πράξις*, seu factum artificiosum locum sortiuntur) nec non a Theologia Morali, cujus præcepta actionum formale dicunt fidem, in Scriptura Sacra patefactam, luculenter distinguitur. Immo iusti respectu, principium nostrum præcepta format justitiam vniuersalem respicientia, unde iterum a Jure Ciuili, quod justitiam particularem vrget, jus Nat. euidentissime sejungit.

§. XV. Deinde omnia Jur. Natur. præcepta nostro principio contineri, qua capita saltem generalia demonstramus & quidem juxta seriem objectorum, circa quæ versantur actiones nostræ morales.

§. XVI. Primum objectum DEUS est. Hujus erga se amorem frequentius fere, quam continuos articularum pulsus quisque sentit. Ama igitur te amantem. Sed quomodo? dicam paucis. Qualis ac quantus sit ille, qui te amauit scias in antecessum opus est, porro te ipsum cognosce. Quo facto inter DEUM & te partim similitudo quædam, partim dissimilitudo adparebit. Ex illa *amor amicitie* & ex hoc sequentes conclusiones fluunt: De cognitione DEI in te semper augenda

augenda sis sollicitus; similitudini cum DEO stude, super omnia DEO faue &c.

§. XVII. Ex dissimilitudine cum DEO, specialiter qua ejusdem perfectiones & quidem immanentes, fluit *amor concupiscentiæ*, vnde illæ conclusiones: In DEUM solum spera, in infortuniis ejusdem auxilia implora &c.

§. XVIII. Porro, qua perfectiones DEI emanantes, quæ me dependentem a DEO dicunt, fluit *amor obedientiæ*, hinc ista: DEO præ creaturis obedias, eum reuerearis & verbis & factis &c. Omnia vero hæc præcepta proferri possunt vnica enunciatione: *DEum cole*; quæ tanquam conclusio prima, seu juxta alios, vt principium secundum in hac præceptorum classe, statim locari posset sub principio nostro.

§. XIX. Secundum objectum est ipse homo quilibet. Hic si velis investigare officia tibi debita, consideres, quis primo intuitu in te se exferat amor tenerrimus ac vehementissimus, etiam ante omnem ratiocinationem. Sic deprehendes te ipsum tibi quam maxime commendari. Vnde sunt *πρώτη κατὰ τὴν φύσιν*, de quibus in specimine, de Grotio immerito a commentatoribus suis vapulante, egi paulo vberius. Quibus cognitis ama te amantem, i. e. cum quædam naturalis vis te ad amorem tui impellit etiam quando non deliberas, igitur etiam cum prudenti deliberatione te ama.

§. XX. Amor autem mei pro imperio a Deo mihi per naturam injunctus, conseruationem mei præ reliquis vrget; hinc in hac secunda leg. nat. classe conclusio primaria est seu princip. secundum: *te ipsum prudenter*

denter conserva. Quibus modis jam expedienda sit ista
conseruatio luculentius patet, si partes mei spectem.
Mentem itaque primario intueor, hinc præcepta: Ho-
nestis artibus scientiisque animum imbuas; mentis im-
perium prauis adfectibus ne vicles &c. Deinde cor-
pus: hinc præcepta: sanitatem tuam cura, membro-
rum integritatem serua &c.

§. XXI. Tertium denique objectum alii homi-
nes omnes constituunt. Cum his enim a natura mihi
inest socialitas naturali amore nixa. Quam præclaris-
simo opere demonstravit Pufendorf, cujus itaque prin-
cipium: Socialiter viue, cum omnibus suis conclusioni-
bus, præsentis meo principio potest subordinari. Be-
nevolus Lector hunc paucarum horarum laborem
æqui bonique consulat latioremqve explicationem ho-
rum certo speret, in peculiari de Natura & Con-
stitutione Juris Naturalis tractatu
exhibendam.

F I N I S.



entibus saltibus præludunt offam projicientibus eos-
que defendunt.

§. XIV. *Adequatum* simul esse principium no-
strum abunde conitat, quia suo ambitu primum sola
comprehendit præcepta Nat. Juris adeoque hoc ipsum
a reliquis disciplinis omnibus distingvit. Quippe ea
tantum præcepta gignit, quæ *περάκιον*, seu actiones mo-
rales disponunt inque iisdem formale constituunt amo-
per sanam rationem inuestigatum. Quo ipso Jus
h omnibus disciplinis theoreticis (in quibus, vel
speculatio mentis; vel simul *πρόνοια*, seu
præfiosum locum sortiuntur) nec non a The-
li, cujus præcepta actionum formale di-
Scriptura Sacra patefactam, luculenter
amo justi respectu, principium nostrum
præfiam vniuersalem respicientia, vn-
de ite *πρόνοια*, quod justitiam particularem
vrget, *πρόνοια* diffissime sejungit.

§. XV. *Omnia* Jur. Natur. præcepta
nostro principio *πρόνοια* qua capita saltem genera-
lia demonstrantur, juxta seriem objecto-
rum, circa quæ *πρόνοια* es nostræ morales.

§. XVI. *Principium* DEUS est. Hujus
erga se amorem frequenter continuos arte-
riarum pulsus quisque *πρόνοια* itur te aman-
tem. Sed quomodo? dicat *πρόνοια* lis ac quan-
tus sit ille, qui te amavit scias *πρόνοια* opus est,
porro te ipsum cognosce. Quæ *πρόνοια* cum &
te partim similitudo quædam, partim *πρόνοια* ad-
parebit. Ex illa *amor amicitie* & *πρόνοια* res
conclusiones fluunt: De cognitione *πρόνοια* per-
genda

